



Hvmanae Salvts Monvmenta

Arias Montano, Benito

Antverpiae, [1571?]

In tabulam collectionis mannæ. Ode Tricolos Tetrastrrophos XVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68924](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-68924)

In tabulam collectionis mannae.

ODE TRICOLOS TETRASTROPHOS XVI.

PEN^V benigni ex aetheris editam
Intaminato & munere simplicem
Miratur annonam legendo
Plebs alacris, cumulumq^z, magnum.
Defecta parcis quos tulerat cibis
Festina sacrum dum sequitur ducem,
Verbisq^z, concedens supernis,
T esqua petit sterilesq^z, tractus.
Tunc prouidentis consilio Dei
Educta turma pennigeræ cohors,
De rore confectas sereno
Ambrosiamq^z, epulasq^z promit.
Nullis parata hæc dona laboribus,
Lentis vel anni cursibus, aut grani
Quæsita curarum tumultu
Lucifer exoriens ferebat.
Sic dormienti, cui Deus affuit,
Adiuncta rerum commoda cernimus,
Ædeisq^z, crescentemq^z longo
Tempore progeniem parari:
Dum certus ille, & pollicitis pins
Credens benignis, non timet ardua
Ferre, atque quâ dicit vocantis
Mens, sequitur, peragratq^z certus.
Hæc esca plenam numinis & manum
Atque efficacem pascere comprobat,
Natura seu iussas ministret,
Sine neget properata parteis.
Maiora nostris fercula seculis
Delata puri culminibus poli
Ponuntur, eternaq^z vitæ
Pignora terrigenis petenda.

FIDES

FIDES NVSQVAM EGENS.

*Esse homini in terris poterit quæ grata voluptas,
Cui diuina semel contigit Ambrosia?*



PROVIDENTIÆ LOCUPLETI S.

-KOD

C 3

In